



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Boni Et Perfecti Regiminis

Binet, Étienne

Mainz, 1675

Cap. V. Dicta declarata per praxin, eorumque notabile exemplum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50077](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50077)

regimini, & omnes sciant, quod quidquid boni egimus, id tibi deberi: quidquid vero mali factum est, provenire à nostra stoliditate, omnemque gloriam per totam æternitatem tibi deberi. Ita fiat.

CAPUT QUINTUM.

Hactenus dicta declarantur per praxin, & traditur eorum notabile exemplum.

Nil facilius, quàm præscribere insignes regulas, sed nil difficilius, quàm eas praticare, sicut oportet. Bonum exemplum in hac materia plus valet, quàm decem volumina argumentorum. Graviter non delinquitur ex eo, quod nesciamus, quid debeat fieri, sed ex eo, quod lumina, quæ dantur in intellectu, applicare nesciamus. Jesus Christus Patrem filii prodigi nobis exemplar dedit, eum laudavit, velut ideam proposuit, & vult, ut eam imitemur.

I. Hic Pater, quidquid potuit, fecit, ut impediret, ne filius abiret, & ab eo disceretur.

deret ; dumque videret omnem operam amissam, cuncta divinæ providentiæ commisit, sperans eum tandem à Deo reducendum. Prælati quidem exoptant, ne aliqui committantur defectus ; id tamen semper non optant ex timore, ne Deus offendatur, sed potius ne eos supportare debeant, vel quia existimant eos cedere in eorum despectum, vel quia aguntur aliqua occulta passione, aut defectu secreto. Debemus imitari Deum, qui etiam ex parvis defectibus magna bona elicit.

II. Quamdiu filius prodigus errabundus vagabatur, & in libidinibus volutabatur, Pater imitabatur S. Job, qui Deum rogabat, ut suis filiis benedictionē cæli impertiretur. Profectò hoc longè aliud est, quàm exaggerare defectus, & velle subditos errantes vivos deglutire. Oportet in silentio, & patientia expectare benedictionem Dei, qui corda disponit, ut emendentur: interimq; potius orandum, quàm clamandum est.

III. Ad primum rumorem reditus prodigi; ad primum nuncium, quo pater audivit filium reversurum, non egit Araebm,
vel

vel silvestrem³, non cœpit furere per domum, excandescere, minari, brachi & crurifragia illi misero errabundo; & inobedienti; sed cor, viscera paterna aperuit, ut illum iis invisceraret; dicebat: dummodo sese emendet, omnium præteritorum oblivisci volo.

IV. Dum filium eminens advenientem prospexit, brachiis, & corde obvius ei processit. Non expectavit, ut rogaretur, non exaggeravit defectum filii, gratiam, quâ eum recipiebat. Quisquis sincere amat, tot ceremonias non adhibet, nec tam exactus in omnibus est. Alius adhibuisset impropria, verba amara; sed talis non habuisset cor paternum, sed fuisset homo ferinus, non spirans nisi vindictam, carens omni vero affectu.

V. Mox ut ille miser filius advenit, sese adstravit pedibus sui Patris, & oculis lachrymantibus veniam rogavit. Timor nunquam elicuisset tot lachrymas ex oculis, tot favillas, & suspiria ex corde. Bonus pater verba ex ore ejus ademit, nec permisit illum miserum juvenem, qui suam culpam fateri volebat, & veniam rogare,

vel

vel verbum proferre. Cor paternum hoc ferre non potest, dum subditus qui erravit sincerè se humiliat, & resipiscit. Cor paternum boni Superioris primam syllabam, quam proferre incipit, statim intelligit, nec permittit, ut suam culpam agnoscat; sed eum prævenit, & cor miseri delinquentis ita devincit, ut malit millies mori, quàm ad vomitum redire. Rigor destruxisset filium prodigum, eumque forsan de novo concitasset, & in desperationem præcipitasset.

VI. Nullum ei responsum dedit, sed in collum ejus irruit, osculo pacis eum salutavit, fortiter eum complexus est, omnia præterita delicta extinxit, & filium vi amoris lucratus est, & reluscitavit. Rigor cor occlusisset, & in irrevocabilem desperationem egisset.

VII. Alius eum inedia mulctasset, pane & aqua ejus capitositatem mortificasset, & juvenis paratus erat ad hæc peragenda; sed hic modus agendi cor ejus non fuisset lucratus. Pater vitulum saginatum jubet occidi,
eum

cum vestibibus opulentis, & pretiosis induit, opiparum convivium amicis instruit: nil aliud resonabat, quàm symphonia, festivi concentus; anulum ejus digitis inseruit, ac si voluisset, desponsare sibi ejus affectus, & cor ligare. Miser ille adolescens pro eo quod comederet, sese præ gaudio mori putabat, & si mille corda, mille viscera habuisset, ea lubens impendisset, ut tam bonum Patrem oblectaret.

VIII. Dum filius natu major è campo rediret, illaque festiva gaudia audiret, & interrogaret, quid illa tripudia, quid illæ solemnes nuptiæ in ædibus sui patris denotarent, rem uti re ipsa erat intellexit: cœpit itaque diris devovere suum fratrem, inmodò suo patri succensuit, ejusque nimiam indulgentiam fugillavit. Ut quis obtineat, quod vult, peccare & malè agere debet. Boni, & obedientes vilipenduntur, nec curantur; Et nescio quæ alia non effutierit. Vix hæc ad bonum patrem delata sunt, & illicò remedium adhibere, & pacare illum filium studuit, causam assignans, cur benignitate tam incomparabili usus sit. Sat frequenter contingit, ut dam boni

Suppe-

Superiores, magnam benignitatem exhibent delinquentibus, nonnullus animus tetricus, & inquietus sub prætextu zeli obmurmuret. Dum Magdalena pedes Christi inungeret, & hic ejus errores tanta benignitate condonasset; totus mundus obstrepere cœpit, sed Dominus eam defendit, & excessum suæ dulcis bonitatis ostendit.

IX. Postquam bonus pater animum ferocem filii natu majoris mitigasset, ut finem imponeret, hanc rationem subjunxit: Dilecte fili, nil minus facere potui, & necessariò aliquale gaudium contestari debui: nam hic meus percharus filius, qui perditus fuit, & mihi quasi mortuus, feliciter inventus est, & quasi vitæ restitutus. Cordi paterno hoc tantum gaudium est, ut debeat lætari de ejus reditu, & omnium suorum præteritorum defectuum oblivisci.

X. Quod me concernit, ego puto bonum senem filium juniorem manu præhendisse, & per triclinium ad natu majorem duxisse, & jussisse, ut in mutuos complexus ruerent, Senioremq; sic affatum esse:

E

esse:

esse: Mi fili, plus quàm verum est, hunc tuum miserum fratrem deliquisse, sed tot calamitates perpeffus est, ut re ipsâ me ad misericordiam commoverit. Insuper tot lachrymas fudit, tanto dolore sua errata detestatur, ut cor habeat petrinum, qui ad condolentiam non movetur. Ad hæc verba omnes in teneras lacrymas resoluebantur. Bonitas illius boni patris salvavit totam familiam, & parvum Paradisum constituit.

XI. Et revera effectus hujus benignitatis tantus fuit, ut nesciamus, an filius conversus unquam relapsus sit. Millies cum Magdalena maluisset mori, quàm vel in minimo bonitatem tam excessivam offendere. Quod si pater severum erga eum se exhibuisset, forsàn gravius quàm ante deliquisset.

XII. Porrò optimum in hac historia est, quod Jesus Christus hanc parabolam applicet suo regimini, & dicat: si aliquis homo tam benignum se exercuerit, quid non debeat expectari ab ipso, qui est Agnus Dei, & ipsimet Deus? Tandem concludit, & hortatur, ut eum in hoc imita-

imitari conemur. Et an putetis eum nescire, qualiter regi debeant homines, ut eorum corda devincantur? Bonus Superior non est ille, qui habet subditos, qui nunquam delinquant; nam sol nunquam talem conspexit, nec talis dari potest. Ille est bonus Superior, cui bene perspecta est humana fragilitas, qui supportando defectus corrigit, qui non cessat balsamo perfundere plagas, donec æger perfecte curetur, & ita comparatus sit, ut malit mori, quàm tam bonum patrem offendere, & cor tanta charitate plenum contristare. Et dato quod infirmus non sanaretur, & suæ obligationi non satisfaceret: quale quæso solatium non sit bono Superiori, si possit dicere: feci quod Christus mandavit, feci quod ille fecit: bonum patrem me exhibui? Quamvis meus filius velit esse filius prodigus, & nolit subesse meæ tutelæ, meæ disciplinæ, sed terminos observantiæ transilire; idcirco tamen ego non omittam ea, quæ facere debeo. Expectemus diem Domini, horam ejus præfixam, & dum minus putabimus, bonitas ejus quod oportet, faciet.

XIII. Qualitercunque aliquis regat, nunquam aberunt aliqui defectus, & erunt aliqui, qui delinquant. Quod si aliquis suaviter, & leniter regat, is 1. regit faciliter. 2. regit absque sollicitudine & labore. 3. non est præceps in negotiis, & omnia facit sine strepitu. 4. non præoccupatur, nec aliquid facit inconsiderate. 5. sibi devincit corda subditorum, & à bonis quidquid vult, obtinet. 6. ostendit à minus bonis injustitiam stare, eosque esse culpabiles, & eos à toto mundo ut tales damnari. 7. ipsimet resipiscunt, & citius, aut serius coguntur agnoscere suum peccatum, & defectum. 8. Melius & exactius imitatur regimen Christi. 9. perfectius mundat suum cor, & illis, qui abutuntur suâ bonitate, utitur velut instrumentis suæ humilitatis, & charitatis. 10. citò vel serò per patientiam, & longanimitatem omnia negotia ad felicem exitum perducit. 11. nunquam labitur velociter. Illi, qui quamvis per rigorem obtineant aliquid boni, tamen plura mala faciunt, & tandem subeunt magnos labores, conficiuntur magnis pœnis, & vix aliquis erit, qui
eis

eis gratias agat. 12. Ex paucis malis, quæ suffert in subditis, sibi & suis subditis multa bona elicit. 13. Illi ipsi qui sunt difficiles & refractarii, sensim mansuescunt, remittunt, & bonitatem Superioris agnoscunt, deprædicant, & dicunt, quod nõ obstante, quod virga disciplinæ eos ad observantiam adigere potuerit; eos potius voluerit lucrari, & cor aureis catenis charitatis ligare.

XIV. Porrò quod valde observandum est, filius prodigus forsam multò intensius amavit suum patrem, quàm alter ejus frater, qui nil aliud fecit, quàm quod murmuraret, ejusque actiones fugillaret, fundatus uti ajebat, in sua innocentia, quod nunquam suum Patrem offendisset, non secus ac Magdalena Christum intensius amavit aliis, adeo ut Christus dixerit, ei, qui plus amat, plura dimitti. Certum est non rarò subditos, quibus corde paterno a quavis defectus condonatus est, intensius, tenerius amare suos Prælatos, quàm illi, qui dum existimant se innocentes, toti sunt in traducendis actionibus aliorum, ita ut fiant insupportabiles.

XV. Et hic est sensus Paradisi, in quo Angeli magis tripudiant de peccatore converso, quàm de nonaginta novem iustis, quos veniã non indigere sciunt. Non absimiliter bonus Superior majori gaudio afficitur, eò quod miserum cor, quod à passione abstractum fuit, per suavitatem absque ulla contractione ad viam perfectionis reduxerit, quàm de viginti aliis, qui absque vacillatione suum iter prosequuntur. Et sanè illi, qui sunt duri, & obstinati in condonandis aliorum defectibus, sæpe majores coram Deo committunt, quamvis hoc non agnoscant. Et esto eos de præsentis non committant; quis eos certos reddat, quod in futurum peccaturi non sint? Quod si hoc fiat, qualiter velint tractari. Magnus Deus consolationum, & Pater misericordiarum largiatur nobis sufficiens lumen, ut verè cognoscamus, qualiter nos ipsos, & alios regere debeamus, ut dum ex obedientia admovemur ad regimen, secundum regulas certissimas, & infallibiles cœli regamus.

CAPIT